Si aliquanti fiunt Nimrothorum potentia et Tyrann-
efficiuntur, quae fert impia voluntas eorum.
Breui aderit tempus ut sistamur nobiscum ad Tribu-
nal vindicis Dei cernentis omnia et exactissima
ratione singulorum factorum a nobis exigentis.
Sentiant si libet Sadducaei et Epicurei, et quales-
cunque cum suis papistis esse velint. Aderit
breui dies ille, ubi filius Dei mandaturus est
Angelis suis, ut colligant e Regno ipsius omnia
scandala, et eos qui patrant iniquitatem, ut mit-
tant eos in Caminum ignis. Deus convertat
illos apud quos spes est resipiscentiae, destruat
autem desperatae malitiae homines, rebelles
verbo eius. Adiuuet vero clementer illos, qui
periclitantur propter veritatem et confessionem,
propter serium pietatis studium, faciatque nos
perseuerantes et constantes in omni bono. Amen.
Reverendissime Vale in Christo. Orate pro nostris Ecclesijs
ad Deum sedulo. Hoc Christianum officium
vicissim et vobis praestabimus donante utriusque
spiritu gratiae et precum. Datum. N. 20 Mar.
1549.

[illegible] Philippo
[illegible] Isemanno
[illegible] scriptam esse

D. Iohannes Brentius

Salutem in Christo. Legi tuas literas, curas
et solicitudines. Laudo quidem pietatem tuam,
quam erga patriam et Ecclesiam vestram
declaras. Sed qua ratione tuis consilijs fieri
satis possit, non video. Speras inveniri posse
aliquo modo, quo et Christo et Caesariano interim
seruire queas. Hoc est in illis periculis quaerere
modum, quo duobus dominis inter se pugnantibus
seruire possis. Manifestum est quod urgeat
Caesar eam sententiam, quam quiuis pro sua
libidine aut iuxta suam opinionem ex Interim
isto sumere potest, sed ipsam literam huius
Interimi, literamque usque ad minimos apices
vult observari. Non mihi nunc obijcias decla-
rationem, quae spargitur. Fieri quidem potest, quod
de ea aliquid inter Electores sit collocutum,
sed an ea sit Caesari oblata et a Caesare approbata
haudquaquam etiam inter eos qui eam spargunt, con-
stat. Manifestum etiam est quod Senatus,
Senatus inquam [illegible] loquar de pactis pijs,

sed de maiori parte, quae vincit meliorem.) omni-
no cupiat voluntati Caesaris obsequi, ut se am-
plius tot periculis exponat. Manifestum
quoque est quod Interim pugnet cum Verbo
DEI. Inter tam pugnantia qui potest um-
quam concordia? Succurrendum putas
Ecclesijs et pijs ministris. Recte, si id fieri
posset sine contumelia Christi. Existimas fore
Interimistas tolleraturos piam doctrinam,
si nos arripiamus omnes ipsorum Ceremonias?
Sed an nescis perspicue in prooemio Interim
mandari, ne quis loquatur aut scribat
adversus hunc librum. Quae est ista doctrinae
libertas? Quare si Ecclesia et pij ministri
non possunt alia ratione quam contumelia
piae doctrinae servari, commendemus eos Christo
filio Dei, huic eorum curae. Nos interea fera-
mus patienter nostrum exilium, et expectemus
dominum. In hoc ducatu permittitur sen-
sim pia doctrina. Papatus et Interimisticus
cultus conflantur in unum, et fit ex his unum

compositum

compositum. Et quid inde praeter Samaritanam
Religionem aut potius Chimaeram nascetur?
Quare mittamus ista consilia et ponamus has cu-
ras. Deus tuebitur suam Ecclesiam, et non
exigit ut faciamus et mala et periculosa, vel
ut isti loquuntur, scandalosa, quo fiant bona.
Vides quam frigido affectu desiderant meliora
etiam hi, quos putamus meliores. Cur igitur propter
hos suscipiemus consilia, conscientiae nostrae gra-
vissima? Nam qui vere pij sunt, ut sunt pauci,
ij habent doctorem, et qui non sinet ipsos
sibi eripi, donec illustretur gloria dei, etiam in
oculis huius mundi. Memineris quaeso
quod Christus dixit: Multi vocati, pauci vero electi.
Qui illi multi sunt? Civitas. Qui pauci? Ec-
clesia. Civitas igitur non est in Ecclesia, sed
Ecclesia est in Civitate, dominatur autem Civitas,
quia multi, Ecclesia subijcitur, quia pauci.
Ergo ferendum est Ecclesiae, quod Civitas ferendum
imponit, Hoc est, Exigantur pij doctores Ecclesiae,
ut restituatur Idolatria, ut tollatur disciplina, etc.

Interea respiciat Ecclesia ad deum et expectet
liberationem. Cur nos imponeremus pijs
Ecclesiae onera ~~Ita~~ intollerabilia? Et haec
quidem de illustrioribus locis et civitatibus
dixerim. Nam qui de obscurioribus locis
seu pagis censeam, exponet tibi N. meam
sententiam et eiusdem viri. Tua
enim res non minus nobis quam nostrae
curae sunt. Feliciter et bene vale.
Anno 1549.

Edita est à Caspare Peucero inter Epistolas Melanchtonis Witteb. 1570. p. 210.

Epistola Philippi Melanthonis ad Concionatores Nurenbergenses de mitigandis dissidijs.

S. D. Utinam similis consensus esset Ecclesiarum
ubique de vera doctrina Evangelij, ut Ecclesiae vestrae
multos iam annos Dei beneficio nobiscum tanquam una
voce Christum praedicant. Nec vero dubitamus
hunc consensum salutarem fuisse, et quibusdam
Ecclesijs profuisse exemplo. Quid autem optabilius,
quid pio pectori dulcius, quam videre florentes Ecclesias
in quibus recte colitur deus, et ubi huius doctrinae

salutaris, et quarum exemplo εὐσχημ., ut Pauli
verbo utamur, ornant gloriam Christi?
Cum igitur maxime fieri concordiam perpetuo
cupiamus, duximus hoc tempore vobiscum com-
municanda esse consilia, cum imperator delibe-
rationes existimantur, de mitigandis publicis dissidijs.
Scripsit enim Lundensis ad principes nostros: Venire
Caesarem in Germaniam, non ut bellum civile
moveat, nec ut sanguinem piorum propinet
exorbendum Pontificibus, sed ut deliberet de con-
cordia moderatis rationibus sancienda, ac hortatur
esse nostros, ut et ipsi diligenter cogitent, quarum
rerum mitigatio ad firmam et durabilem tran-
quillitatem profutura sit. Magna laus esset
Imperatoris Caroli, si hoc vere agitur, ut Christi
gloria illustretur, et saluti totius Ecclesiae consulatur.
Praeclare enim illud in Tragoedia dicitur de excellenti
Imperatore: Consulere patriae, parcere civibus, fra-
terna caede abstinere, mores regere, reddere orbi
quietem saeculo pacem suo. Haec summa virtus,
petitur hac coelum via. Sed nos multa movent,
ut suspicemur vel omnino falso spargi hanc famam,